

INAUGURALIS MEDICA  
DE  
**HYPochondriasi.**

QUAM  
CONSENSU ET AUCTORITATE  
MAGNIFICI DOMINI PRAESIDIS,  
NEC NON  
INCLYTAE FACULTATIS MEDICAE

IN  
ALMA AC CELEBERRIMA  
REGIA SCIENTIARUM UNIVERSITATE HUNGARICA  
PRO DOCTORATUS MEDICINAE LAUREA

OBTINENDA  
CONSCRIPSIT

**GASPARUS ROTH**

DE TELEGD  
HUNGARUS NOBILIS BIHARIENSIS

---

Theses adnexae publice defendentur in Palatio Universitatis  
majori die Julii 1833.

---


BUDA E,  
TYPIS REGIAE SCIENT. UNIVERSITATIS HUNGARICAE.

SPECTABILI ac CLARISSIMO

DOMINO

MARTINO CSAUSZ

MEDICINAE DOCTORI, IN R. SCIENTIARUM UNIVERSITATE HUNGARICA ANATOMIAE PROFESSORI S., INCLYTAE ITEM FACULTATIS MEDICAE COMMEMBRO, AC H. T. SPECT. DECANO ETC. ETC.



**VIRO**  
**ERUDITIONE, HUMANITATE,**  
**BENEVOLENTIA, MAGNANIMITATE**  
**NULLI SECUNDO,**  
**IN**  
**AETERNUM GRATI ANIMI**  
**PIAEQUE**  
**VENERATIONIS MONUMENTUM,**  
**HASCE**  
**LABORUM SUORUM PRIMITIAS**  
**SACRAS ESSE**  
**CUPIT**

**GRATISSIMUS**  
**AUCTOR.**

## N O M E N.

*Hypochondriasis* venit a graeco ὑπο sub et καρδος cartilago, quasi dicas: malum sub cartilaginibus positum. HIPPOCRATES morbum *resiccativum* seu *resiccatorium* nominat; AETIUS *flatuosam passionem*. A multis auctoribus vocatur: *malum hypochondriacum*, *morbus hypochondriacus*, *passio hypochondriaca*, *tarturus hypochondriorum*; ab aliis dicitur *morbus eruditorum*; a recentioribus: *debilitas nervosa*, *neuropathia*, *hypercinesia hypochondriaca*, *hypochondria*, *nerrosis gastro-intestinalis*. Ab Arabibus nominatur *mirachiu*, *morbus mirachialis* (ab arabico *mirach* mesenterium). Germanice *Hypochondrie*, *Milzkrankheit*, *Milzsucht*, a KANT *Grillenkrankheit*. Gallis: *Hypochondrie*, *maladie vaporeuse*; *imaginaire*. Anglis: *Hypochondriac Affection*, *Vapours*, *Spleen*, *Low Spirit*. Italis: *Ipocondria*. Hungaris: *Ráztkörság*.

## D E F I N I T I O.

*Definitiones hypochondriasis* admodum diversae existunt; quae ab auctoribus, tam antiquis quam recentioribus in arte medica celeberrimis huic morbo vere proteiformi datae sunt, non omnibus numeris absolutas esse fatendum est. Nec immerito quidem: nam vera morbi natura causaque illius proxima neque indefessis artis nobilissimae conatibus potuit hincadusque exacte erui; haud mirum idcirco est, ut nonnullorum definitio ab uno aliove morbi symptomate petita proin unilateralis sit; cum alii effectum pro causa habentes, eamque pro illa proxima morbi statuentes minus congrue definiant hypochondriasim; nec defuerunt aliqui, qui exaltatae phantasiae imaginationisque ludibriis seducti, proximam morbi causam detexisse sibi vindicarunt, huicque definitionem hypochondriasis non minus ineptam superstruxerunt. — Quo in discrimine sententiarum maxime congrua morbi hypochondriaci definitio mihi visa est ea FR. BENE, ex praelectionibus eius publicis deprompta. Cuius mente hypochondriasis, seu hypercinesia hypochon-

driaca est ille morbus peculiaris nervosus, in quo functiones organorum digestionis et chylicationis cumprimis perturbatae sunt, sensusque coenaestheseos morbose exaltatus, cum imaginatione simul ita abnormi, ut aeger in statum corporis sui nimis adtentus, et de sui salute singulari anxietate sollicitus, diversissima, eaque summe inconstantia offerat adfectionis morbosae symptomata.

## S Y M P T O M A T A.

In enumeratione symptomatum morbi hypochondriaci valde diversorum, ac inconstantium ea via procedere constitui, ut primo phaenomena morbose in organis vitae vegetativae obvenientia, dein aberrationes functionum vitae animalis ordine quantum fieri potest physiologico pervestigarentur.

*Symptomata in organis digestionis et chylicationis occurrentia.* Alienationes functionum digestionis et chylicationis praecipue in debilitate et atonia organorum huc facientium quaerendae pro diversitate sedis, intensitatis, extensionis, pro vario irritabilitatis ac sensibilitatis gradu, et perverso organorum adfectorum statu, admodum variant. Persentit nimirum aeger praecipue post pastum, assumtis imprimis cibis digestionis aliquantum fortius resistentibus, aut flatulentis sensum ardoris, tensionis in hypochondriis, quibus sensus frigoris, saepe cum calore alternantis et pulsationis in regione epigastrica, se adsociant. Cibi appetitum hypochondriaci communiter imminutum habent, nonnunquam tamen, ast transitorie solum, nimis voraces sunt, erroribusque diaeteticis, quos saepissime committunt, novae sibi parant aerumnas; sapor oris iam fatuus, dulcis, amaricans, iam acidus est; lingua conspicitur muco levi tecta; frequenter sensus tensionis aut pressionis molestus, per totum abdomen sese extendens accusatur. Processus digestionis est tardus, spatio 15—20 horarum, imo et ultra absolvendus, quem saepe lienteria concomitatur; comparent praeterea ructus acidi, rancidi, foetidi, aut cibos indigestos redolentes, cum pyrosi plerumque iuncti, manifesto indicio digestionem nedum absolutam, vel eam cum qualitativa secretorum degeneratione, ingestorumque corruptione connexam esse. Ob hypercinesiam porro ventriculi aliorumque organorum abdominalium, haud raro ob ipsius saburrae sursum versus turgescens praesentiam, comparent: nausea, vomituritio, vomitus, qui per solam sensibilitatem ac irritabilitatem organorum abdominalium inductus, matutinis praepimis ingruens horis, crebro habitualis evadere consuevit. Non minus exiguos causat aegris cruciatus pertinax alvi constipatio, saepe per hebdomadas,

imo menses protracta, cum faecibus interdum scibalosis, et adeo induratis, ut digitorum, aut instrumenti ope extrahi debeant, quae haud infrequenter mucosae obvolvuntur gelatinosae<sup>1)</sup>, nec raro cruore tinctae observantur, molimina haemorrhoidalia arguentes. Minime silentio praetereunda sunt incommoda, quae per uberiores diversorum excretorum gasformium in tractu intestinali secretionem induci solent: ut extensio, inflatio ventriculi et intestinorum, borborygmi, anxietatem praecordialem variaque phaenomena nervosa inducentes, quod tunc inprimis evenit, si gasa haec morbose evoluta ex hydrogenio carbonato, sulphurato, vel phosphorato, constant, quod ultimum, intestino praeprimis crasso amicum, veneni narcotici instar systema nervosum adficere videtur<sup>2)</sup>, mechanicamque flatuum in colica flatulenta actionem praecipue intendit, quae tempore insultus sursum deorsumque versus secedentes aegro non spernendum adferunt levamen.

In morbosas vitae vegetativae alienationes ultro inquirenti *functiones organorum se et excernentium* a norma recedentes non pauca offerunt symptomata morbosa, quorum consideratione non solum quantitativae, sed et qualitativae deprehenduntur mutationes. — Sic: aucta, saepe perversa est *secretio muci* membranarum mucosarum totius compagis organicae; uti earum nares nec non respirationis organa investientium, hinc itaque coryza, catarrhus laryngeus, trachealis, bronchialis sunt mala hypochondriacis multum molesta, ita ut non pauci ob largam mucum, matutino praecipue tempore excretionem, se phthisi laborare contendant. Non absimiliter abnormis est secretio muci in tubo alimentari, qui in ventriculo saepe tantopere accumulatur, ut vomitu eici debeat<sup>3)</sup>. Sed nec membrana mucosa organorum uropoëticorum et genitalium a secretionem hac abnormi immunis est, hincque blennorrhoea urethralis et leucorrhoea adfectionis huius progeniem sistunt. Saepe ptyalismus largior aegrum infestat, quum et qualitativa *salivae* mutatio simul adest; ea nimirum iam salsa, dulcis, insipida aquosa, iam acris excorians, amara, iam foetida nauseosa est; non raro contingit se et excretio abnormis materiae salivae analogae, sic dictae salivae abdominalis, in pancreate, unde pyrosis, nausea, dolor tensivus profunde in abdomine locatus, diarrhoea serosa etc. primum habent explicatum. *Urinum* saepe parca est, subinde tam

1) Jos. Frank *Praxeos medicae universae praecepta*. Lipsiae, 1818 partis II. vol. I. sect. I. pag. 559—560.

2) Richter Dr. A. G. *Specielle Therapie*. Nach den hinterlassenen Papieren des Verfassers herausgegeben von Dr. G. A. Richter Wien 1830. VII. Bd. p. 271.

3) Haase. *Über die Erkenntniss und Kur der chronischen Krankheiten etc.* Leipzig 1817. II. Bd. p. 266—67.

copiosa, ut in diabete esse consuevit; interdum aquosa spastica, plerumque copiosior; haud raro tamen praecipue tempore ab insultu libero, vel hoc ad finem vergente coloris profundioris, iumentosa, turbida interdum nigra saepe foetida, quandoque alimentorum ingestorum indolem exhibens. 4) Sedimentum deponit iam mucosum, iam lateritium, iam roseum, quod secundum analysim VAUQUELINII acidam praesefert indolem; superficies ipsa urinae quandoque pellicula versicolore tecta reperitur. *Bilis* se et excretio in hypochondriacis est ut plurimum imminuta, aut suppressa mox icteri symptomatibus, aut excretionibus alvinis griseis manifestanda; interdum aucta, polycholiam, vomitum vel diarrhoeam biliosam inducens, qui tamen status morborum vix nunquam absque mutata simul ratione partium constituentium bilis locum habent. Sed nec *cutis* functio apud hypochondriacos illaesa persistit; etenim iam largo, post moderatum etiam corporis motum, disfluunt sudore; iam e contra quod universim frequentius evenit perspiratione cutanea suppressa, cutis sicca, chartae pergaminae similis tangitur; cumprimis autem familiares hypochondriacis sunt sudores partiales, ut pedum, regionum subaxillarium, et ii circa genitalia obvenientes; odore et crasi liquidi secreti multum variantes, qui interdum tanta pollent acrimonia, ut in partibus quas contingunt sensum pruritus, ardoris, nec non excoriationem inducant. Huc tandem referendae veniunt abnormitates tubi alimentaris prius recensitae, quatenus in secretionum anomaliis fundantur.

*Habitus corporis externum* hypochondriaci sub initio morbi satis laetum exhibent, ita ut nonnullis de statu suo morbozo quaerentibus, primo obtutu vix aliqua fides habeatur, ac pro aegris imaginariis a plerisque declarentur; quamvis etiam sub habitu corporis optimo, crebro gravis reconditus sit morbus, hypochondriasis symptomatibus se manifestans. Malo magis incremente, infirmi tales fiunt macilenti habitumque offerunt depravatam verbis vix exprimendum; color faciei evadit pallidus, flavicans, luridus, quasi terreus; oculi sunt profunde in orbitam retracti, annulo livido cincti; subinde facies est oedematose tumida, cumprimis in subiectis e hypochondriasi sic dicta cum materia laborantibus; ad aspectum exhibent tristem, meditabundum, anxium, ac in consideratione conditionis suae detentum; certis tamen sub intervallis ad aspectum sat laetum vegetumque praeseferunt. Praecordia praecipue sub insultu sunt tensa, prout et hypochondria, praecipue sinistrum, tumida apparent, ac in locis, intestini coli flexuris respondentibus, attactum aegre ferunt.

4) Jos. Frank. l. c. p. 560 —

*Organa circulationis et respirationis nec non organa motus muscularis* miram offerunt symptomatum morbosorum variabilitatem: sic cordis vasorumque motus abnormes, ut palpitatio tremorque cordis in nonnullis cum orgasmo, anxietate, pulsu arteriarum molli, tardo, intermittente, iam pleno, duro coniunctus, cessatio item, in quibusdam hypochondriacis, motus cordis, lipothymiam breviori vel longiori tempore durantem inducens; oppressio tandem pectoris cum doloribus eius lancinantibus, respirationis difficultas, tussis item spasmodica suffocationem minans, sistunt anomalias, indolis potissimum nervosae, quae si crebro recrudescent diutiusque durent, vitia cordis organica mentiundo, a minus adtentis facile pro iis haberi possunt. — Accusant praeterea plerique sensum lassitudinis ac defatigationis magnum, qui saepe tantum imaginarius, non raro tamen realis est, hinc motum omnem horrent quietemque corporis solerter quaerunt. Subsultus tendinum, spasmi clonici, musculorum praecipue abdominalium, item tonici diversi, brevi tamen durantes, molestias hypochondriacorum non parum augent; sic aliqui eorum postquam somno sopiti essent, succussionibus momentaneis, iis electricis ac galvanicis similibus, subito excitantur. Huius adhuc loci sunt paralyses partiales, ut hemiplegiae momentaneae <sup>5)</sup> nec non mala alibi iam commemorata, ut meteorismus, colica flatulenta, alvus morosa etc. in quantum debilitatem muscularem, vel motum eorum spasticum pro causa habent. <sup>6)</sup>

*Organa sensuum externorum* tanta erga stimulos polent receptivitate, ut quivis influxus externus intensior, saepe etiam levior, reactiones excitet tumultuarias; sic strepitus, lux intensior, odoramenta fortiora, calor, frigus, repentina temperaturae mutatio, uberior copia materiae electricae in atmosphæra producunt sensum aegritudinis et diversas passiones. — *Visus* hallucinationes offert multifarias, iam in exaltata, iam depressa, aut perversa sensibilitate radicatae. Tales autem sunt: sensus scintillationis, fulgurationis, visus imaginum lucentium, aut integrae imaginum seriei, absque causa aliqua externa ante oculos versantis; iam e contra scotomia, visus nebularum, similiaque accusantur mala: quas visus anomalias clausis praecipue palperis percipiunt, quibus apertis ut plurimum mox omnes evanescent illusiones. Ad visus adfectiones morbosas referendi adhuc sunt: oxyopia, amblyopia, photophobia et blepharospasmus interdum observandi. — *Gustus* in hypochondriacis saepe acutus, obtusus vel

5) Meissner Encyclopedie der medicinischen Wissenschaften. Leipzig 1851. VI. Bd. Art. Hypochondrie.

6) Haase l. c. p. 206.



nullus, saepe perversus est adeo, ut absque causa quadam materiali omnia, quae degustant dulcia, amara, acida, aut salsa esse arguant, quin ulla adfectionis gastricae symptomata detegi possint. Quod *auditum* attinet iam de oxycocia, iam de barycocia aut cophosi, iam de tinnitu vel susurru aurium conquaeruntur. Functiones *organi olfactus* aequè diversimode a norma recedentes offerunt hypochondriaci; etquidem olfactu gaudent nunc acri, nunc obtuso, aut varie perverso, quo respectu id singulare habent, quod odoramentis foetidis sanis individuuis summe inamoenis communiter delectentur; odores e contra iucundos subiectis sanis admodum gratos et reficientes aversentur. — *Cutis* sensu titillationis, pruritus, formicationis, caloris frigorisve vagi, thermometro haud indicando vexantur; interim subinde frigus cadaverosum universale, saepius frigus partiale extremitatum tam obiectivum, quam subiectivum manifestum fit.

*Sensus communis* raro depressus, ut plurimum plus minus exaltatus et perversus est, aegroque de conditione corporis sui minus rectam largiri solent cognitionem: saepe nimirum conquaeruntur de sensu lassitudinis, vertigine, adfectionibus diversarum partium vel totius corporis dolorificis vagis, interdum fixis, obtusis, iam acutis intolerabilibus, ex quibus temulentia, dolor capitis obtusus, caeteris frequentius adfligunt hypochondriacos: et quidem vertigo reliquis capitis adfectionibus communiter praecedere solet, quam haud infrequenter lipothymia, crebrius tamen temulentia cum doloribus frontalibus, frequentius occipitalibus tensivis, prementibus, aut constringentibus saepe per longitudinem spinae dorsi decurrentibus excipiunt. Dolores hi interdum occupant hemicranium dextrum aut sinistrum, quandoque ad minorem capitis plagam restricti, *ovi* vel *clavi hypochondriaci* nomine insigniuntur; subinde capillitium, quin ipsi capilli morbosae huius sensibilitatis participes fiunt. Nec tantum ad caput sensus hi dolorifici restricti sunt, sed accusantur ab aegris etiam in pectore, ut et sensus compressionis in corde. Frequentius percipiunt *dolores* varios in regione hypochondriaca iam dextra, iam sinistra; sensum item ligaminis hypochondria secundum diaphragmatis decursum perstringentis<sup>7)</sup>; experiuntur porro in aliqua parte abdominis adfectionem dolorificam sensationi per carbonem candentem inductae simillimam; sed nec regiones, renales, vesicalis etc. a similibus adfectionibus immunes sunt, quin et muscoli singulares sub spastica eorum contractione dolorifici evadunt. Non raro doloribus comprehenduntur extremitates iam superficialibus, mox profundis, iis syphiliticis, scorbuticis, rheuma-

7) Jos. Frank. l. c. p. 558.

ticis, aut arthriticis analogis; a quibus tamen eo distinguuntur, quod brevi, quin mutationem quamdam in organisatione inducerent, evanescant. Huc referenda venit adhuc sensatio molesta constrictionis versus gulam excurrens minoris tamen, ac in hystericis, intensitatis, *globus hystericus*: symptoma frequentissime topicum, quandoque ex ventriculo huc propagandum. — Ob morbosum hunc coenaestheseos in hypochondriacis statum, communiter in exaltata vel perversa sensibilitate radicum, quivis influxus externi etiam leviores a sanis vix percipiendi, ut leve refrigerium, vel calor moderatus in iis ingrati quamquam sensationem, quin fortissimas impressiones, reactiones violentas ipsae paroxysmum interdum provocant; prout et dosis moderata cuiuscunque medicamenti extraordinarios subinde producit effectus. — *Somnus*, quamquam hypochondriaci proclivitatem in somnum nimiam habeant, ut plurimum inquietus est, aegrique insomniis, somniis terrificis, ephialte molestantur; aliqui tamen, praecipue in morbi exordio, bene dormiunt; ast licet somno, quo omnes fere hypochondriaci obruuntur, iusto plus indulgeant, vires eorum vix refocillantur, quin dum e somno protracto mane evigilant, temulentiam, maioremque lassitudinem muscularem accusant, quae successive solum decrescit, ita ut quidam post meridiem tantum reddantur perficiendis laboribus consueti apti, horisque vespertinis optime se habeant. — Tandem ob coenaesthesim alienatam etiam *functionum sexualium* anomaliis divexantur hypochondriaci; iam enim frigiditatem aut impotentiam nimio opere accusant, mox iterum inmodico ardent veneris desiderio, somniisque lascivis et pollutionibus nocturnis exhauriuntur; alii amplexum feminarum ac sibi summopere deleterium admodum horrent. <sup>8)</sup>)

*Sensus interni* prorsus singularia et statum morbosum multum characterisantia offerunt phaenomena. Facultates quidem mentis in concreto morbose adfectae non sunt; memoria enim, intellectus, ratio et iudicium in certis directionibus sunt normales, saepe ita eximiae, ut cultura mentis alios superent; sola facultate imaginandi et phantasia exaltatis ac perversis, ita ut sensorium commune diversis iisque copiosis et iugiter se excipientibus obruatur repraesentationibus, praecipue in mutationes et statum morbosum proprii organismi directis, hinc communiter, iudicium de statu corporis sui erroneum ferendo, diversa sibi fingunt mala corporea, realia vero nimis exaggerant. Si autem *facultas imaginandi praepondium* iam maius, iam minus super ratione adepti fuerit, vix potest status aliquis morbosus somaticus aut psychicus cogitari, quem non im-

8) Richter l. c. p. 277.

pense hypochondriacus accusaret, quorum tamen vera vestigia quandoque certo reperiri possunt; sic aliqui metu apoplexiae, maniae anguntur, vel mortem tempore et die a se praedicto certo imminere vaticinantes, supremas vitae horas cum terrore expectant; dum alii ardorem in ventriculo percipientes se intoxicatos esse contendunt: hic flatibus intestinalibus vexatus, intestina rimas egisse credit; dum alter borborygmos a rana in visceribus nidulante, vel palpitationem cordis a polypo cordis derivat; alii porro tussiculam pro phthisi pulmonali, vel hydrothorace, sensus dolorificos transitorios regionis columnae vertebralis, pro tabe dorsali, regionum autem renalium vel vesicalis pro urolithiasi, sedimentum urinae mucosum pro semine, pruritus quemcunque cutis pro scabie etc. habent. LOUYER-WILLERMAJ refert de quodam hypochondriaco, quod corpus suum pro foco ardente, nervos pro carbonibus gliscentibus, sanguinem pro oleo bulliente habuerit sequo martyrium pati debere statuerit. — Indefessi et scrupulosi investigatores sunt hi infelices omnium mutationum corporis sui: continuo pulsus explorant, linguam et salivam investigant, nec ipsa urina, aut excrementa alvina eorum effugiunt attentionem, quin in determinanda urinae faecumque indole et organon gustus adhibere non negligunt: librorum medicorum studio dediti, ex morbis, de quibus legunt vel audiunt se ipsos aegrotare mox autuant, ideas tamen morbi sui lubenter mutant variasque sibi condunt theorias, hinc medicum medicamenque anxiae quaerunt, arcana omnis generis sollicitè adhibere non intermittunt: unde vix exstitit quondam theoria medica, quae in principio non innumeros naeta fuisset inter hypochondriacos cultores, salutare artis progressus summis encomiis depraedicantes. — Magnam hypochondriaci collocant fiduciam in medico et medicina, quem, si levamen quoddam experiantur, ad sidera usque extollunt; si vero symptomata morbosa pro tempore silentia revertantur mox eundem vituperant et pro summe ignorante declarant; hinc a viro consilio pleno ad vetulas, pharmacopolam, aut agyrtam se convertunt, nulli fidem tribuendo, nulliusque praeceptis diu obsequendo. Consolatione speque de prospera valetudine sensim redeunte, a quocunque illi data, nimis indignantur: e contra in desperationem incidunt. — Morbo suo continuo occupati mutationes status sui omnes, vel et minimas peculiari eloquentia medica recitare valent; timore tamen fluxae memoriae diarium solliciti ducunt omnium symptomatum, cui nova sua dubia, quaestionesque medico denuo mox proponendas diligenter inserunt; quandoque haec vel illa pharmaca impense a medico exposcunt, effectus iis haud infrequenter contrarios iam salu-

tares, mox noxios tribuunt: sic a tonicis irritari, a refrigerantibus debilitari, ab evacuantibus exhauriri se contendunt. Si autem idae euidam firmiter inhoereant, nec ingrattissima recusant sumere remedia, saepe ridicula exposcunt, quin eorum actionem cum effectu exinde expectato, vel praeeconcepta opinione reconciliare possint; plures nimis scrupulosi minutissimas circumstantias curant, ponderant, mensurant, explicationesve de medicaminis agendi ratione sibi expetunt; alii item remedii vel mitissimi effectum timent, exiguasque etiam doses nonnisi cum tremore sumunt. Saepe, quae illis convenirent sollicite vitant alimenta, atque sollicitum magis quam exactum in victu, amictu, motu etc. observant regimen; sic alii cubiculum plurium annorum curriculo non deserunt, fenestras aperiri nunquam sinunt, vel diu noctuque transpirationis fovendae gratia lecto decumbunt <sup>9)</sup>. Maiori in morbi gradu continuo metu mortis anguntur, unde somno frui non audent, ne eo potiti, in aeternum obdormiant. Labores mentales cum alacritate perficiunt, absque tamen patientia et constantia: omnem enim occupationem, quam hodie cum fervore suscipiunt, impensiusque diligunt, cras ut summopere taediosam respuunt. Universim omnis intentio animi diuturnior illis intolerabilis est; rarius tamen nonnulli hypochondriaci, non obstantibus sensibus internis quibusdam perversis, labores suos mentales magna cum sagacitate et constantia perficiunt. — In *affectibus animi* nimia observatur variabilitas atque inconstantia, ita ut saepe sine aliqua causa visibili, a metu ad spem, ex hilaritate in tristitiam, ex exstasi in mansuetudinem, ex risu in fletum repente faciant transitum: peculiarem tamen pronitatem offerunt in animi affectus deprimentes, inprimis tristitiam. Nullam erga alios quin et erga se ipsos habent confidentiam, quae sui diffidentia apud hypochondriacos interdum tanta capit incrementa, ut se vix aliqua rerum cognitione pollere imaginantes, vix verbum proferre audeant, metu aliquid incongrue dicendi; ob pusillanimitatem omnes adeo horrent dolores, ut violentas sibi inferre manus vix unquam audeant; ast postquam per longam annorum seriem multa passi fuissent, et demum tam a medico suo, quam ab aliis pro aegris imaginariis declarentur, idque iis, scopo fors curativo, continuo repetatur, et ad tentandum suicidium provocari possunt. Aegre ferunt etiam populosas hominum congregationes, ut in ecclesiis, comitiis, theatris, nec non conspectum regum, principum. — Diffidentia etiam erga alios crebro eousque procedit, ut omnes homines, veluti deceptores et malevolos, metuant; solitudinem quaerunt, singularemque colunt

<sup>9)</sup> Jos. Frank l. c. p. 661

egoismum, quem CEL. JOS. FRANK. <sup>10)</sup> sequentibus egregie exprimit: „*haud raro hypochondriacus universum genus humanum, proprio excepto individuo, perversum ac sibi infensum existimat, hoc individuum solum curans, reliquumque orbem terrarum negligens; nihilominus ut quicvis desiderii suis obviam eat, exposcit, quod nisi accidat, imprimis, si alter ad honores eosdem consequendos, ad quos ipse adspirat, concurrere uideat, id pro iniuria, quin imo pro crimine habet, atque sic vitam infelicem ducit, ordinemque publicum perturbat*“. Peculiari porro feruntur diffidentia erga suum medicum, praecipue tunc, si is ideis eorum morborum annuere et fidem praebere nolit, vel si historias morbi sui taediosas per horas durantes, pacata mente et singulari cum attentione excipere non sit paratus. — Contradictiones, quamquam sibi ipsis diffidant, aegerrime ferunt; sunt valde meticulosi, ut minimus strepitus eos in terrorem coniciat; in maiori morbi vehementia nimio opere inquieti sunt, et praecordiorum angustiam prorsus singularem percipiunt, ac si conscientia illorum a crimine commisso angeretur, vel omni momento infortunium aut periculum quodpiam ingens immineret. — Dum demum aberrationes sensuum interiorum, cum adeptae fuerint gradum, ut facultas imaginandi et phantasia morbose activae intellectum, apparitionibus, rationi rectoque iudicio et experientiae absolute repugnantibus obruere valeant, facultatum mentalium perversionem summum attigisse gradum aegrumque vesaniae vicinum esse merito concludi potest. Quod si vero res eo devenisset, ut idea aliqua fixa, vel certa idearum fixarum series aegrum ad actiones inconsequentes vel plane violentas ponendas determinaret, vesaniam iam perfecte evolutam praesentem esse nullum est dubium <sup>11)</sup>).

Symptomata haec enumerata, nunquam omnia, in uno eodemque deteguntur aegro, nec eadem semper ea, qua recensita sunt serie, intensitate, et constantia, neque eodem tempore in omni obveniunt aegro; sed pro diversa constitutione individuali, habitu, aetate, temperamento, sexu, gradu et duratione morbi, climate, anni tempore, pro vario item vitae genere, victus ratione, consuetudine, mentis cultura etc. admodum variant.

10) Jos. Frank. l. c. p. 557.

11) Richter l. c. p. 280.

## C A U S A E.

*Dispositio* ad hypochondriasm in multis individuis certo peculiaris adest, quae saepe hoereditaria, vel congenita, vel in utero matris evoluta, saepe influxu diversarum potentiarum nocentium post nativitatem adquisita est. Nunquam vero dispositio ante aetatem juvenilem adparet, ita, ut morbus intra annum aetatis 20 — 40 solear communiter evolvi. In genere eminenter praedisposita sunt in hypochondriasm individua habitus nervosi, temperamento melancholico, phlegmatico praediti; porro illa, quorum systema lymphaticum aut venosum, praecipue illud venae portarum prae arterioso insigniter evolutum est, hincque in adfectiones organorum abdominalium magis inclinant, unde facile explicari potest cur individua colore cutis flavo, capillis nigris, respiratione tarda, pulsu arteriarum debili tardo, sensibilitate hypochondrii dextri, vomitu bilioso habituali, evacuationum alvinarum abundantia cum constipatione alternante praedita prae aliis maiorem in hunc morbum praedispositionem habeant. Maiorem porro in hunc morbum dispositionem habent viri quam feminae, apud quas anni inprimis climacterici dispositioni favent.

Ad causas vero nocentes, quae nempe vel praedispositionem producent, vel ea praesente morbum excitant, eae referendae veniunt potentiae, quae universi organismi praepremis vero organorum abdominalium atoniam et laxitatem quoquo modo inducere, simulque systematis nervosi sensibilitatem ac irritabilitatem ultra normam intendere valent; suntque eae, quatenus unum, vel aliud factorum vitalium eminentius adficiunt, iam physicae, iam psychicae.

Ad *physicas potentias nocentes* referuntur; clima fervidum, in quantum calida aëris temperies imaginationis exaltationi, quae in hypochondriacis praedominans est, admodum favet; aër humidus, exhalationibus animalibus inpraegnatus, temperaturae vicissitudines, inprimis repentina eius mutatio, subita vitae laboriosae cum molli otiosa commutatio, *vita sedentaria* praecipue corpore antrorsum inclinato, qua pressio viscerum abdominis causatur, humorumque in organis abdominalibus, praecipue in systemate venae portae circulus impeditur. Magis adhuc noxia est vita sedentaria cum operationibus mentis diuturnis coniuncta, unde antagonistiche actio simul vitalis systematis nervoso gangliosi deprimitur. Habitatio protracta *in locis humidis*, aërem relative minori oxygenii quantitate inbutum habentibus; unde in regionibus depressis, humidis, paludosis, nebulosis: utpote in regionibus maritimis, Anglia, Hollandia frequentior est hypochondriasis; cuius insultus vere

et autumnno, dum tempestas frigida, humida, nubila, inconstansque est praecipue ingruunt. — Huc pertinent porro *alimenta* et *potulenta*, tam quantitate quam qualitate peccantia, ita defectus ciborum, ieiunium frequens, protractum, victus tenuis, quam et excessiva eorum quantitas morbum provocare solet; longe frequentius tamen cibi qualitate peccantes: dispepti nempe, facile obstructions alvi causantes, acido libero abundantes, vel eius genesi in tubo alimentari faventes; quales sunt cibi farinosi, pingves, ut legumina, solanum tuberosum et similia; carnes aut pisces pingves, fumo indurati, vel sale conditi, nec non cibi luxus palatique magis, quam sanitatis gratia multum compositi, excessivoque aromate conditi, imprimis calide assumpti. Saepe morbum excitant *potulenta*: usus excessivus spirituosorum, potuum calidorum, theae, coffeae praecipue tenuis vel eius surrogatorum, quatenus inertiam et laxitatem organorum abdominalium inducunt; abusus potuum aquosorum, cerevisiae tenuis, non bene defaecatae, aut in acidam fermentationem nitentis. Favet evolutioni hypochondriasis usus excessivus aut protractus *pharmacorum*: ita emeticorum, purgantium imprimis drasticorum et clysmatum Kaempffianorum; solventium, amarorum, narcoticorum, cumprimis opii, subinde adstringentium. Excitatur etiam per *motus* corporis nimios exhaustivus; item per evacuationes profusas qualescunque: ut ptyalismum, sive per fimum nicotianae, sive alia ratione inductum; quo scilicet materia organica corpori subtrahitur, digestio turbatur, obstructioque alvi producitur; non secus per profluvia alia, ut sudores nimios, diarrhoeas, dysenterias, haemorrhagias, imprimis largas e vasis haemorrhoidalibus. Frequentissime provocatur per praematurum eumque excessivum veneris usum, per onaniam, aut pollutiones nocturnas frequentes; quibus non tantum succi genitalis iactura, et hac inducta debilitas nervosa, locum habet; sed et organa abdominalia, conservando praecipue individuo dicata, magno in gradu debilitantur. — Varii praeterea *status abnormes*, qua causa hypochondriasis adduci possunt, qui tamen potius ut effectus status morborum organorum abdominalium considerandi veniunt; tales sunt: infarctus vasorum systematis venae portae, obstructions, indurationes glandularum mesaraicarum, plexus solaris, pancreatis, lienis, hepatis, sicut et polyhaemia, polycholia. Non minus frequenter exoritur hypochondriasis, per suppressiones, retentionesque profluviorum habitualium praecipue haemorrhoidalium, prout etiam, licet rarius, per retentionem succi genitalis, a nimia castitate utriusque sexus; sic non raro observatur hac de causa evolutus morbus in claustris monachorum, virginumque monialium. Tandem provocatur morbus antagonistiche vel metastatice per morbos cutis

suppressos, per herpetem, scabiem, aliasque dermophlegmasias chronicas cito evanidas; per suppressum sudorem habitualem pedum, aut aliarum partium: per celerem fonticulorum aut ulcerum chronicorum exsiccationem: per subitam abstinentiam a venere, cui organismus adsvetus fuit; nec non per febrim intermittentem. — Praeter has causas physicas, quae morbum hypochondriacum vel excitant, vel praedispositionem in illis exaltant, diversae, eadem ratione agentes obveniunt.

*Causae psychicae.* Omnes animi affectus deprimentes longo tempore durantes universum vegetationis processum peculiariter adficiunt; quam maxime vero organa abdominalia debilitando, specificam nervorum huc facientium sensilitatem, eamque excessivam producant. Hinc manifestum fit: moerorem, tristitiam ex amissione parentum, liberorum, amicorum, benefactorisque provenientem, amorem infelicem, iacturam pulchritudinis, senectutem adpropinquantem (apud quasdam feminas), ambitionem defraudatam, spem delusam, hostiles invasiones, exilia, proscriptiones, timorem, nostalgiam, sollicitudines, curas omnis generis, similesque affectus prementes eo magis hypochondriasim producere, quo maiori in gradu praesentes, quoque diutius durantes sunt. Sed et protracta mentis adstrictio eaque nimia, individuales fors vires excedens, multum ad evolutionem hypochondriasis confert: quatenus nimirum antagonisticae per fortiores systematis nervoso cerebri intentionem debilitas, laxitas organorum abdominis cavo contentorum, morbosaque hinc systematis gangliosi sensibilitas inducitur. Mali huiusmodi influxus in sanitatem cumprimis locum habent in aetate iuvenili, praesertim si educatione morali perversa, lectione librorum phantasia excitantium facultas cornu imaginandi, iam et secus fervida, ultra normam exaltetur: aut si incongruo parentum educatorumve, moderni imprimis temporis, solidioribus iisque multifariis scientiis adolescentes quo citius imbuendi studio, aut si nimio multorum iuvenum, vel stimulo honoris, vel necessitate, vel utroque simul urgente, multa brevi discendi nisu, corpus, laboribus mentis gravioribus minime aequum, adeo debilitetur, ut physica corporis evolutione impedita, vitaque individuali vegetativa multum laefactata, prima morbi hypochondriaci fundamenta frequentissime iaciantur. — Magnum ad generandam hypochondriasim influxum habent diversi *hominum characteres* individuales: sic hilares, activi, audaces, raro huic morbo sunt subiecti; quum e contra morosi, otiosi, pusillanimes, timiduli, solitariique frequenter hoc malo plectuntur. Atque non individua solum, sed integrae quoque nationes ex eadem hac causa magis minusve in hypochondriasim disponuntur: nationes bellicosae in genere,



nec non quarum character liber, vivax, et iucundus, vix aliquam exhibent dispositionem; Angli autem iam a natura morosi et meditantis, Hispani et Itali zelotypiae otioque dediti frequentius hypochondriasi laborant ac incolae Hungariae, Helvetiae, Galliae et Statuum Americae septemtrionalis confederatorum. <sup>12)</sup>

In classe eruditorum plurimi reperiuntur hypochondriaci inter Theologos, qui scilicet circa unum continuo obiectum idque transcendens, (limites cognitionum humanarum excedens), facultatem imaginandi et phantasiam multum exaltans occupati, exhilarationibus deliciisque, tam animum quam corpus reficientibus etiam modestissimis, verecundiam et decentiam nec minimum quidem offendentibus, admodum parce frui, aut iis nonnunquam ex vano solum plebis praecudicio penitus destitui coguntur <sup>13)</sup>; paucissimi autem sunt inter scientiarum naturalium cultores, Astronomos, sicut et inter rucolas, milites; sed et inter cultores aliarum scientiarum artiumque liberalium non pauci occurrunt hypochondriaci: ut inter Philosophos, Historicos, Juris consultos, Politicos; ita et inter pictores, poetas, musicos aliosque aestheticis rebus vacantes. Sed nec Medici, imprimis iuniores ab hoc morbo immunes sunt, qui prima pathologicarum scientiarum lineamenta degustantes multa morborum symptomata, lecta vel audita, in corpore suo secus sano quaerere et reperire perpetuo intendunt; imo et Medici adultiores, dum morbi cuiusdam singularis naturam intensa mente cognoscere conantur, huncque in finem opera omnis aevi de obiecto illo tractantia, magna cum diligentia pervolvunt, affectionem hypochondriacam interdum sibi contrahunt.

Nihil autem magis homines hypochondriacos efficit, ac *scripta popularia librique medici* illius generis, qui speciosis sub titulis affatim hodie vulgati optimum consilium, certissimum in uno aliove morbo auxilium, infallibileque remedium impudenti venditant calamo, quos profani ingenti arripientes fervore diligenter lectitant, sicque semet principiis medicis inbutos perperam concipientes divam medicinae scientiam magnopere humiliando impias ad sui aliorumque morbi curam elevant manus, quo et aliis noxii evadunt, et sibi viam ad evolutionem morbi hypochondriaci certo pandunt. Demum haud infrequenter excitat morbum consortium cum aegris imprimis hypochondriacis, quotidiana afflictorum consideratio, similiaque exempla tristitum animi affectuum dominium excitantia. In sexu femineo praecipuum hypochondriasis fontem praeter causas cum vi-

12) Bankó Dissertatio medica inauguralis, sistens hypochondriam. Vindobonae 1825. p. 16.

13) Dr. Johann Georg Krünitz oekonomische Encyclopaedie etc. Berlin 1783. XXVII Theil p. 593 — 594.

ris communes sistunt: anomaliae catameniorum et reliquarum functionum sexualium, quae nempe receptivitatem earum erga influxus noxios potentiarum externarum singulari ratione augent; tum omnia contra lubitum, et voluntatem earundem facta, adiuncta zelotypiam excitantia, cuncta demum verecundiam, decus, honestatemque offendentia ansam evolutioni morbi saepe saepius praebent.

## CAUSA PROXIMA.

Causam hypochondriasis proximam omni aevo conati sunt eruere auctores in medicina celeberrimi, et in varias abeuntes sententias, hypothesesque valde diversas assumentes; ea tamen lucidiusque exacte determinata nondum est. — HIPPOCRATES et GALENUS causam morbi hypochondriaci proximam collocarunt in atra bile; DIOCLES in vitiis stomachi; SYDENHAM in ataxia seu irregularitate spirituum animalium; BOERHAAVE in materia tenaci lienem, ventriculum, pancreas, omentum, et mesenterium obvestiente; FR. HOFFMANN in statu abnormi lienis; STAHL in stagnatione sanguinis venosi in systemate venae portae; R. A. VOGEL in polyblennia organorum abdominalium per debilitatem eorum inducta; CULLEN et HILDENBRAND in digestionem tardam et debilem, cum metu et tristitia connexam; REIL in coenae aethesi morbose adfecta, per nimiam cerebri omniumque nervorum, praecipue abdominalium sensilitatem producta, aegro statum corporis deteriorem ac re ipsa sit, annunciantem; I. P. FRANK in ciuturna et variabili organisationis adfectione, praecipue systematis coeliacum et viscerum abdominalium; STORR in ea cerebri et systematis nervi intemperie, qua sensationes repraesentationes et conceptus a relationibus corporeis eiusdem individui alienati a realitate deflectunt, adfectiones alias sphaerae vegetativae ut accidentales considerans. BROUSSAIS morbum habet pro gastritide chronica, in individuis nervosis evoluta, irritationem cerebri secundariam provocante; PUJOL pro effectu et symptomate inflammationis chronicae hepatis, encephali aut uteri. HASE in torpore et depressa sensilitate, debilitataque actione systematis nervosi abdominalis, et antagonisticè exaltato statu sensorii, causam hypochondriasis proximam collocat. JOS. FRANK pro morbo universi systematis nervosi sese praecipue in gangliis abdominalibus, plexibus cardiacis et cerebro exerente habet.

Ast quotquot sint de interna morbi natura, proximaque illius causa medicorum omnis aevi sententiae, eae insufficientes, et unilaterales sunt; imo nonnullae symptomatice solum morbi descriptiones sistunt. Interim a vero

parum abluunt ii, qui principalem hypochondriasis causam in peculiari adfectione morbosa systematis nervoso-gangliosi, cum perturbatione coenaestheseos imaginationisque connexas consistere statuunt.

## D I A G N O S I S.

Ex symptomatibus tam obiectivis, quam subiectivis hypochondriasis serio collectis, causisque illius diligenter investigatis haud arduum est morbum cognoscere. Cum tamen non paucae existant morborum formae, quarum phaenomena ante plenariam earum evolutionem vix in sensus incidunt, ac proin ex sola aegrorum enarratione cognosci possunt, facile evenire poterit, ut morbus, cuius existentia maiori circumspectione adhibita erui potuisset, imaginationis luxuriae tribuatur. Humanitatis igitur praeceptis monemur, ne diagnosim hypochondriasis praepostere, et temere formemus, neminemque pro hypochondriaco declarem, cuius coenaesthesia mala realia denunciat, cuiusve iudicium de perceptionibus suis morborum rectum est: quare ut eo exactior construatur morbi diagnosi et de eius praesentia eo magis praecisum feratur iudicium, praeter accuratam symptomatum omnium combinationem, scrupulosumque causarum cunctarum examen plurimum interest morbi hypochondriaci a) *differentiam* ab aliis morbis, et b) *divisiones* eius attenta mente exquirere ac pervestigare.

### a) D i f f e r e n t i a e.

1) *A vitiis organicis cerebri.* Haec, quorum symptoma praecipuum in dolore capitis fixo plus minus acuto consistit, defectu aliarum anomaliarum praecipuis coenaestheseos et imaginationis ab hypochondriaca adfectione distinguuntur; quamvis minime negandum sit, per ipsam hypochondriasis perfecte evolutam et diu durantem vitia organica cerebri non raro induci posse.

2) *A monomania.* Sedes huius principalis in adfectione cerebri radicata absque anomaliis organorum abdominalium, singularia offert symptomata ab iis hypochondriasis distincta, dum organa digestionis potissimum laesa occurrunt: aegri monomaniaci fixa aliqua occupantur idea, et de multis obiectis iudicium e diametro oppositum ferunt: dum hypochondriaci de obiectis extra sphaeram status sui morborum cadentibus recte iudicant: nullam in statum suum morbosum monomaniaci convertunt attentionem: hypochondriaci e contra in omnes suas passiones studiose inquirunt, easque ut plurimum noscunt: illi ad omnes labores inepti

sunt: hi autem multos bene perficiunt. Monomaniaci ad suicidium saepe rapiuntur: hypochondriaci raro tali ausu tentantur. Hypochondriasis frequenter redit in sanitatem: raro monomania; multa remedia ut emetica, purgantia monomaniacis proficua, hypochondriacis plerumque obsunt.

3) *Ab hysteriasi.* Initia huius saepe iam aetate pubertatis cum periodo menstruationis inchoant: hypochondriasis vero potissimum aetate adultiori, haecque vitae sedentariae amica magis homines temperamenti melancholici sexumque virilem invadit: quum illa individua temperamenti sanguinei, sexumque exclusive femineum, praecipuis post animi motus, frequentissime amorem, adficere solet; hypochondriaci contemplationi status corporis morborum continuo inhaerent, ab influxibus externis minus determinantur, meditantibus, morosi, dissidentes, remedia anxie quaerentes sunt, paroxysmisque lente ingruentibus, diu durantibus, nec nimis intensis divexantur: hystericae e contra sibi vix aliquid attentae ab omnibus potentiis valide adficiuntur, harum paroxysmi subito ingruunt, vehementiores sunt, brevi iterum evanescent, facile in convulsiones transeunt, tempore a paroxysmo libero inconsequentias suas rident, nec amplius de statu suo morbo cogitant suntque hilares, in societatibus amoeni, magisque iucundi, saepe usque ad levitatem animi. In hysteriasi systema magis uterinum, in hypochondriasi organa digestionis sensibilitatem morbosam monstrant; tandem hysteriasis in epilepsiam et maniam, hypochondriasis e contra in melancholiam ut plurimum degenerat; nil tamen obstat, quo minus hysteriasis in hypochondriasim transeat, vel cum ea complicetur.

4) *A vitiis cordis organicis.* In his palpitatio cordis, semper cum dolore plus minus intenso et fixo est coniuncta, reliquis hypochondriasis phaenomenis absentibus: in hypochondriasi e contra sub palpitatione cordis dolores nulli aut saltem subinde vagi observantur, nec symptomata sensus communis abnormis alienationesque imaginationis desiderantur; palpitaciones cordis a vitiis eius organicis inductae diutius durant, citius revertuntur, a quibusvis corporis commotionibus, vel levibus etiam deambulationibus exaggerantur, nec raro syncope comitari solent: dum in hypochondriacis brevi durant tempore, maiore concedunt intervalla et per diuturnum corporis exercitium, motusque moderatos potius imminuantur, saltem non augentur: tandem praesente morbo cordis organico palpitatio cordis in certo et determinato corporis situ semper ingruit, quod in hypochondriacis non obvenit.

## b) D i v i s i o.

Distingvitur hypochondriasis in *simplicem* et *complicatam*. *Simplex* est, dum nulla laes sive topica sive universalis in organismo, nullus morbus acutus, vel chronicus cum hypochondriasi coexistit. *Complicata* autem est, dum praeter morbum hypochondriacum alii quoque morbi therapiam modificantes in corpore adsunt; ita saepe complicatur hypochondriasis cum melancholia, hysteriasi, affectionibus haemorrhoidalibus, urolithiasi, arthritide, rheumatismo chronico, febre intermittente, et aliis. — Distinguitur porro in hypochondriasis *sine materia* et in eam *cum materia*. *Hypochondriasis sine materia* seu *dynamica*, *vaga*, secundum Jos. FRANK *genuina*, a SCHEU *primaria* ca dicitur: dum vitia organica distincta non deteguntur, nec status vegetationis manifeste abnormis est; sed omnia mala in facultate imaginandi ultra normam exaltata et erronea coenaestheseos ad commune sensorium relatione, omniumque perceptionum, ac sensationis abnormitate radican- tur; alienationesque vitae organicae ne fors praesentes, ut effectus potius hypercinesiae considerandi sunt. *Hypochondriasis cum materia*, quae etiam *topica* vel *intestinalis*, secundum SCHEU *secundaria* nominatur, illa est, dum manifesta vitia organica ut plurimum in nexu causali cum ea existentes: ut infarctus, indurationes hepatis, lineis, aliorumque viscerum abnormitates organicae, vel dyscrasiae humorum, praecipue in organis abdominalibus, vegetationis et reproductionis anomaliis se manifestantes, observantur.

## DECURSUS ET TERMINATIONES.

Morbus hypochondriacus decursum semper chronicum habet, ut plurimum inchoat circa annum 20, ut supra memoratum est, et durat usque aetatem virilem provectam, saepe usque seram senectutem morteque tantum absolvi- tur. Saepe morbus remittit imo intermittit, intermissio- nesque interdum regularem consueverunt tenere typum, ita ut certo anni tempore, uti vere et autumno periodice revertantur: saepe cum haemorrhoidibus, arthritide aut cum urolithiasi manifeste *alternat*. Frequentius autem ty- pus illius vagus est, incertisque temporibus, laevi saltem momento causali accedente, aegros adgreditur; in summa solummodo vehementia constituit morbum *continuum conti- nuentem*. Ubi hypochondriasis dynamica, seu sine materia adest, ibi in duratione et vehementia paroxysmorum, saepe repente ingruentium citoque evanescentium, magna observatur variabilitas, intermissionesque manifestiores et longiores sunt; ubi autem hypochondriasis cum materia,

laesam viscerum abdominalium organisationem offerens, adest, ibi insultus frequentiores, diutius durantes minusque manifeste *intermittentes* sunt.

Sola hypochondriasis mortem raro inducit, sed saepe post longius aut brevius tempus terminatur vel in sanitatem, vel transit in alium morbum. Terminationem illius *in sanitatem* indicant symptomatum morbi omnium successiva imminutio inchoansque reconvalescentia plenaria, quae in genere lente solum ingruit, insultus nempe fiunt sensim breviores, sed vehementiores, rarius aegrum invadentes; dein coenaesthesia perfecte normalis evadit facultatesque sensuum internorum iustum super functionibus somaticis adipiscuntur praepondium; saepe urina nigra sine febrili adfectione excreta, menstrua et haemorrhoides moderate fluentes, sistunt crises, veram morbi resolutionem designantes <sup>14</sup>). Interdum evenire solet, ut morbus iam diuturnus et ad gradum vehementiae sat magnum elatus subito, absque ullis sequelis noxiis, pro semper evanescat <sup>15</sup>). Dum autem symptomata continuo maiora capiunt incrementa, turbaeque facultatis imaginandi et phantasiae de die in diem augentur; iustus adest metus transitus hypochondriasis *in alium morbum*: sic hypochondriasis sine materia transit saepe in melancholiam aut alias vesaniae species; materialis vero in icterum chronicum, hydropem, tabem, praeprimis post evolutam lienis, hepatis, aliorumque viscerum abdominalium indurationem.

## NECROSCOPIA.

Cadaver, morbo hypochondriaco diu adfectorum, insignem corporis totius emaciationem primo ob oculos ponit, in variis autem organismi partibus internis variae deprehenduntur abnormitates: velamenta cerebri ossificationes, vasorumque illius varicositates offerunt; ipsum *cerebrum* nigrescens <sup>16</sup>), steatomatosum, non nunquam sero ac materia purulenta scatens conspicitur. — *Pulmones* et *cor* plerumque marcida, volumine notabiliter imminuta cernuntur; haud infrequenter aneurysmata, non secus ac ossificationes valvularum cordis, polypi item et concretio cordis cum pericardio, aortae vasorumque maiorum aneurysmata prout et ossificationes visuntur. Frequentius viciata reperiuntur *organa caro abdominis contenta*: ita nimia dilatatio, scirrhus ventriculi, infarctus, induratio, suppuratio pancreatis, hepatis; voluminis lienis imminutio cum induratione

14) Jos. Frank. Op. cit. p. 576.

15) Richter Op. cit. p. 282.

16) Jos. Frank. l. c. p. 564.

nexa, aut illius vasorum varicosa expansio <sup>17)</sup>: cholelithi, glandularum meseraicarum tumor, induratio; venarum abdominalium, praecipue systematis venae portae sanguine atro infarctus; *intestinorum* insignis expansio; magnaue interdum seri in cavo abdominis quantitas reperiuntur.

## P R O G N O S I S.

Hypochondriasis sistit morbum pro se minime periculosum, sed tam aegro, quam medico eo magis molestum; longo quidem tempore durare potest, quin vitam aegri in perniciem coniceret; imo, ut plurimorum experientia conprobat, contra morbos epidemios contagiosos praeservantis instar inservit. In genere sanationem sui morbus hic lente tantum admittit, quin saepe obstacula nullo pacto removenda obvertit; frequens medicorum et medicaminum mutatio, nulla regularum dieteticarum a medico propositarum observantia, sunt mores hypochondriacorum depravati felici morbi curae obicem ponentes. — Morbus recens, simplex, non neglectus, nec perverse tractatus, *faustum promittit prognosim*: non absimiliter hypochondriasis sic dicta sine materia, in individuo iuniori, bona secus corporis constitutione instructo evoluta, quamvis gravioribus sit stipata symptomatibus, praecipuis si causae excitantes, ut studium immoderatum, detegi et facile removeri possint, non raro feliciter sanatur. Ubi e contra morbus inveteratus, vel cum aliis morbis, ut arthritide, urolithiasi etc. complicatus est, aut ubi hypochondriasis sic dicta cum materia, cum vitiis viscerum cumprimis abdominalium organicis connexa adest, item ubi morbus continuum continentem observat typum, infelix semper *metui debet exitus*. Non aliter quidem sit perniciosus, quam per consecutivos complicatosve morbos: ita per melancholiam, indurationem, scirrhum viscerum abdominalium, febriam hecticam, icterum, morbum nigrum Hippocratis non raro mortem inducere valet. Status aegri individualis prognosim morbi multum limitat: sic in specie, quo magis a morbi exordio debilitas universalis, ac ea organorum abdominalium increseit, eo minus therapiae cedit: hinc post haemorrhagias profusas, diarrhoeas, dysenterias aliasque evacuationes nimias insecuta, curae utplurimum resistere solet: ita a nimia succi genitalis iactura, sive per onaniam, sive per excessivam veneris usum inductus morbus, infaustum plerumque habet exitum. Dyspepsiae chronicae, alvus pertinaciter obstipa, arte solum movenda, color faciei luridus, habitus leucophlegmaticus, emaciatio nimia, ominosa constituunt sympto-

17) Haase l. cit. p. 269

mata; universim, quo intermissiones manifestiores sunt, eo maior spes restituendae sanitatis. Si vero aeger affectibus animi diu continuo vexetur, si ideae cuidam fixae constanter inhaereat, inquietudinibus et anxietatibus, absque intermissione iactetur, si nimio opere diffidens, omnes homines admodum fugiat: tunc transitus in melancholiam, aut maniam, vel nisus autocidarium tentandi metuendus est <sup>18</sup>). Tandem circumstantiae domesticæ variae, quae remotioni causarum excitantium, vel regimini diaetetico observando impedimento sunt, sistunt momentum ad prognosim pronuntiandam multum influens.

## T H E R A P I A.

In cura morbi hypochondriaci, posteaquam natura illius individualis cum summa probabilitate definita fuisset, non exigua cum attentione, constantia et patientia procedere medicum oportet. Ante omnia confidentiam aegri quam maxime sibi acquirere, patientiam illius in observandis omnibus praescriptis omnimode sustentare, non secus ac spem de recuperanda, artis salutaris praesidiis, valetudine firmam excitare summopere studeat; etenim nullibi magis quam in gravi hypochondriasis curae negotio verificatur dictum illud Ovidii: *Dimidium facti, qui bene coepit, habet.* — Quo facto in ipsa morbi cura ita procedendum est, ut habito respectu characteris morbi, constitutionis individualis, temperamenti, aetatis, sexus, educationis ac culturae mentis etc. omnium primo regimen diaeteticum congruum rite coordinetur, dein vero secundum momenta indicantia cura pharmaceutica rationalis instituitur.

### C u r a   d i a e t e t i c a.

*Aër*, in quo aeger versatur, debet esse liber, purus, siccus, nullis effluviis inpraegnatus, debite temperatus: per hoc nempe obstacula circuli liberi in cavo abdominis remouentur, activitas vero pulmonum et arteriarum excitatur, processusque oxydationis segnis expeditur; quo respectu cumprimis aër ruralis admodum salutaris est. — *Motus corporis* tanquam praecipuum curae momentum semper commendandus est: debet nempe is quotidie moderatus, viribus aegri accomodatus, minime exhaustivus, habita simul ratione pastus, peritici. Hac de causa conducunt motus corporis tam activi quam passivi: debilioribus sensibilibusque, diuturno otio immersis, vitaeque sedentariae nimis adsvetis, motus passivi in genere magis conveniunt:



ut vectio in curru, in rhedis apertis, imprimis equos gubernando; hyemali autem tempore vectio per traham; equitatio in locis amoenis et ubi maior hominum frequentia esse solet, hypochondriacis admodum proficua est; magis salutare hoc respectu sunt itinerationes ad loca remota et amoena, atque naturae artisque divitiis referta, tam mari, quam in continente susceptae. Maltum ab auctoribus contra hypochondriasim laudantur peregrinationes ad amoenas Galliae, Hispaniae et Italiae regiones suscipiendae, quibus nostri aegri, cum patria nostra, omnium naturae beneficiorum fertilissima, similia non pauca offerat loca, omnino carere possunt. Plus prosunt motus corporis activi: ut deambulatio in aëre libero citra defatigationem, excursions botanicae, zoologicae, mineralogicae, labores moderati agrestes, venatio, ludi, in hortis aut campis amoenis suscepti cum pilis, conis; tum porro exercitia, motus corporis maiores exposcentia: cultura horticorum, runcinatio, torneatio, sectio lignorum et similia, ita ludi idem efficientes ut sphaeristerium (Billard), armorum tractatio, saltus moderatus, oscillatio; similia enim corporis exercitia moderata vigorem et robur toti conciliant organismo, functiones organorum omnium promovent, facilitant digestionem et nutritionem meliorem inducunt; sensuum etiam tum externorum, tum internorum, facultatumque mentis activitatem excitant; novas sensationes, novasque relationes cum obiectis extra hominem sitis generando, mentem tristibus ideis occupatam ab iisdem revocant, attentionem ad alia convertunt obiecta, atque animum morosum circulo cogitationum continuo deprimentium eripiunt. *Amictus* non minorem requirit attentionem, debent enim vestimenta non tam anni tempori, quam aëris temperaturae apprime accomodata esse; in genere vestimenta calidiora, non tantum frigidis humidisque diebus autumnalibus et hyemalibus sunt portanda, sed ea nec verno tempore diebusque aestivis ingruentibus sunt seponenda. Vestimenta ex lana confecta, corporis calorem non facile dimittentia, tum sudorem absorbentia, atque levem superficiei cutis, nervis periphericis amicam frictionem sustinentia ceteris praeferranda sunt. Peculiaris ratio debet haberi *alimentorum et potulentorum*, quorum et quantitas, et qualitas iuste determinetur oportet. Generatim victus esto simplex, nec minus organorum digestionis statui, quam corporis exercitio probe respondens. *Vitari* debent cibi discepti, farinosi, pingves, flatu aut acidum primarum viarum generantes, uti farinacei tenaces, minus excocti, et cum fermento parati; obsonia oleracea, pisa, lentes, fabae, fructus horrei quidam: ut cucumeres, melones; non absimiliter potus calidi langvorem ventriculi inducentes, ut infusum tenuae coffeae, theae bohoae, prout et iuscula emollientia nimis

calida solerter evitari debent. *Conveniunt* e contra cibi polychyli, sed eupepti: ut in genere animales, qui moderata quantitate concedendi sunt; prosunt iuscula carnis, ova sorbilia, potus chœcholadae pro ientaculo; caro recens, tenera: vitulina, agnina, bubulina, ferina et altitium, tam cocta quam assata; pisces non nimis pingves, cancri, testudines; legumina, dum modo haud flatulenta, non plane fugienda; maxime arrident spinacea oleracea, rumex acetosa, daucus carota, lactuca sativa, urtica dioeca, beta rubra, asparagus etc. pro acetariis conveniunt aurantia, limonia, ribes et eorum succi, e fructibus horreis maturis fragaria vesca cum saccharo, cerasa, uvae, prunus domestica, amygdalae dulces, pomâ matura acidiuscula. Diæta lactea hypochondriacis ob singularem visum in acidum primarum viarum in genere minus convenit. — *Potus* iis, qui constitutione gaudent atrobiliosa, qui plethora, vel statu irritativo organorum abdominalium laborant, sit mere aquosus (observati enim sunt casus in quibus solus *aquae potus* hypochondriasim penitus sustulit); iis vero quorum organa abdominalia debiliora, atona sunt, qui in obstructions dispositi sunt, magis convenit *vinum* acidiusculum svave olens, antiquum generosum, aqua temperatum, vel aqua cremato mixta; cerevisia clara; defaecata, lupulo bone condita, magis amaricans et parumper fortior sistit potum aeque commodum. Quibus digestio tarda est et in flatulentias dispositi sunt, sumant post prandium parvas tantum doses liquoris alcoholisati dulcis, vulgo liqueur, quales sunt: aurantium, vanillae, foeniculi, quorum usus ante pastum damnandus est. *Aromata* quaecunque cum alimentis et potulentis adbibere in statu plethorico noxium est; apprime vero conveniunt in digestionè debili, tarda, laxitate organorum abdominalium et parca bilis secretionem, ita usus diætetici seminum sinapis, radicis armoraciae, zingiberis, et capsici annui commendantur. Digestionis opere absoluto plethoricis, aqua frigida copiose hausta auxilii specifici vires exerit, reliquis, praesertim tempore frígido, humido theae usus concedi debet; conducunt porro frictiones totius cutis mane et vesperi susceptae. *Somnus*, si consuetudo id concedat, in sinistro corporis latere, lecto non plumaceo molli, sed duriusculo, matraccis instructo capiendus, et pro re nata protrahendus. Praecedat somnum coena modica, vel nulla, sequaturque eum ientaculum parcum, ventriculum non obruens; cubile nocturnum, si fieri potest sit siccum, amplum, nullis effluviis impraegnatum. Nimum tamen in victu sollicitum esse nocet, ordoque in his omnibus naturae legibus accomodus stabiliendus, saepissime enim in eligendis nutrimentis cuiusvis naturae individuali convenientibus prudenter quemque natura per appetitum monet. Interim non reticendum,

salutarem hunc naturae instinctum apud hypochondriacos non raro morbose alienatum et perversum esse; nuda in selectu ciborum magis consilijs medici quam propriis sensibus obediunt aegri oportet. *Alvi evacuatio* in genere etiam naturae committi debet; interim tamen attendendum est, ut alvus omni die, vel si nulla sequantur incommoda, ad summum omni tertia die ponatur; ad purgantia, clysmata, illico confugere nil aliud esset, ac incommoda aegri multiplicare; optimum est, si aeger se adsveficiat alvum quotidie determinato tempore levandi; quem in finem mane post sumtum ientaculum, in cubili abdomen manu nuda vel panno asperiori fricando deambulet, et si nisum ad alvum necdum perciperet, singula die hora determinata latrinae, moderatum adhibendo nixum, insideat; quo facto post aliquot dies nisus ad alvum evacuandam recto tempore sponte insequetur: caveat tamen singulus alvum nixu fortiori provocare velle. *Seminis excretio* hypochondriacis ut plurimum noxia est, quare vel penitus a venere abstineant, vel parcissime tantum ea fruantur oportet. Ubi aeger stimulum sexualem frequentius perciperet, aut pollutionibus nocturnis exhauriretur, omnia alimenta ac potulenta stimulantia, aut congestionem humorum ad viscera abdominalia ac genitalia inducentia, ut cibos aromate conditos, aut flatibus generandis faventes, potus item spirituosos, diureticos et calefacientes solerter evitet; utatur diaeta tenui, potuque aquoso, et postquam hypercinesia organorum genitalium imminuta est, ad cibos magis nutrientes eupeptos faciat transitum, iaceat in lecto duriusculo leviter tectus in alterutro latere, nunquam in dorso, alvum liberam teneat urinamve crebro evacuet; quin si pollutionibus nocturnis obnoxius foret, ad evacuandam urinam, ne vesicae urinariae per eam collectam extensae irritatio, vesicis seminalibus et reliquis organis genitalibus idiopathice, vel consensualiter communicetur, saepius per noctem excitari debet; omnia tandem removenda sunt, quae phantasiam imaginibus lascivis obruere valerent. Si tamen crebrioribus seminis evacuationibus hypochondriaci adsveti forent, moderatus veneris usus omnino indulgendus est, nam si effroeni huic stimulo non satisfiat, facile insultus vehementissimi, saepe ad vesanias accedentes, insequentur. <sup>12)</sup>

Principalem curae diaeteticae partem constituit *regimen psychium*, quod rite coordinare, sub tota morbi cura caute et constanter sustentare, summum sit medici officium. Eo magis autem necesse est praecepta diaetetica circa occupationes mentis observanda aegro praescribere, quo magis morbus characterem immaterialem praesefert. Nunquam igitur hypochondriaco tales concedendae erunt occu-

pationes mentales, quae diurnam fortiolemque facultatum mentis adstrictionem exposcunt; sed praeter exercitia corporis lususque animum grate exhilarantes supra recensitos, frequentari debent societates hominum animo hilari, jucundo praedictorum; convivia, epulae, si fieri potest, fiant inter homines jucundos, quorum colloquiis iocosus animus hypochondriacorum distrahitur, et a consideratione proprii corporis avertitur. Qui lectioni librorum adsueti scientiisque dediti sunt, illis tales legere libros proficuum est, qui non ut facultatem cogitandi gravarent, sed amoena largiendo obiecta animum recreant, qui risum movent, imo cachinum excitant. Non sunt contemnendi hoc scopo et lusus scenici, spectacula, imprimis comoediae, breviori tantum tempore durantes, nam diurna commoratio in locis, in quibus publici lusus fiunt, ob maiorem hominum frequentiam, ut in theatris, choreisque hypochondriacis in genere infensa est. Tanto magis salutaris est conversatio cum sibi addictis, amicis, familiaribus et cum talibus, qui quaerelis de proprio malo, praesens hypochondriaci malum, tristes morbi imagines revocando, non aggravant; non secus multum exhilarat animum musica, praeprimis si eam non ipse infirmus exerceat. Consortium etiam feminarum, quibus natura cor sensibilius, animum magis hilarem dedit, dulce miseris animo afflictis praebet solatium. Curandum praeterea, ut aeger sensim sensimque fidere propriis perceptionibus morbosae desinat, atque eo maiorem fiduciam erga medicum habeat, et medici magis iudicio, quam falsis de morbo suo conceptibus inhaereat. Iuvat interdum, si medicus quaerelis aegri sui hypochondriaci plenam fidem adhibere quodammodo simulet, donec mota prius modesta dubitatione, mox dein eas pro falsis viriliter declaret <sup>20</sup>).

## Cura pharmaceutica.

Ut cura huius morbi pharmaceutica optato cum successu *instituitur*, *indicatio prima* a causis morbum excitantibus et sustentantibus desumenda venit; quae quidem diacta physica psychicaque recte coordinatis, saepe feliciter tolluntur. Frequenter tamen ad pharmaca simul efficacia confugere necessum est; etquidem si sudores universales vel partiales suppressi, aut morbi cutanei chronici et ulcera chronica praepostere exsiccata morbum produserint, haec quoquo modo restituenda sunt; quod in exanthematibus chronicis contagiosis, ut psora, optime inoculatione ipsius contagii perficitur; si autem id fieri non posset, aut

aeger recusaret, tantum irritatio cutis localis per calorem externum, vestimenta lanae, nuda cuti gerenda, iunctiones spirituosas, epispastica, ut sinapismum, emplastrum cantharidum, emplastrum vel unguentum antimoniale, foniculos, moxam pro re nata suscipi debet. Si subita seminis retentio morbum sustentet, ni ea matrimonio sufferri possit, in camphora, acidis mineralibus, nitro, medici haud raro eximium observarunt remedium; plura de his in operibus therapeuticis sub titulo gonorrhoeae et tabis dorsalis inveniuntur. Si profluviorum cruentorum, praecipue haemorrhoidalium, fluxus catamenialis in feminis suppressio causam excitantem et sustentantem hypochondriasis constituent, pro diversa constitutione individuali, morbique vehementia, sanguinis evacuationibus iam topicis hirudinum ope susceptis, iam phlebotomia succurrendum est, non neglectis pediluvii irritantibus, aliisque remediis indicatis; interim dum femina ad annos climactericos provecta hypochondriasi laborat, caveat medicus, imprimis si signa irritationis in utero adfuerint, sanguinis evacuationibus universalibus aut topicis suscipiendis, nisi degenerationem uteri accelerare velit, revocationem fluxus menstrui tentare. Si arthritis, scrophulae, rheumatismus morbum excitant, aut cum ea complicati, sustentant; horum morborum cura rationalis secundum principia therapeutica adornanda est; ita tamen, ut in adplicatione remediorum, contra hos status morbosos laudatorum, praecipuae stimulo fortiori agentium iustus semper hypercinesiae hypochondriacae habeatur respectus.

In plurimis autem casibus et si non excitatur, saltem vix non semper sustentatur hypochondriasis praeprimis ea cum materia, *per statum tubi alimentaris blennorrhoeicum*, infarctus, indurationes hepatis aliorumque viscerum abdominalium; quare si hi status morborum praesentes forent, ante omnia contra hos therapia congrua dirigi debet: et quidem contra statum tubi alimentaris blennorrhoeicum, ut plurimum per debilitatem, laxitatem et irritabilitatem horum organorum morbosam inductum, si diaeta rite coordinata indicationi non satisfaceret, exhibenda sunt salia media et neutra, ut tartarus tartarisatus, tartarus boraxatus, sal seignetti, sulphas kali, natri et magnesiae, ea dosi, ne alvum diarrhoicam inducant, sapo, tartarus stibiatus dosi refracta, sal ammoniacus; in maiori tubi alimentaris laxitate flores salis ammoniaci martiales. E substantiis vegetabilibus rheum, gummiferulacea, quibus, ad energiam fibrae muscularis in tubo alimentari excitandam, excessivamque mucii secretionem restringendam, addimus extracta amara, ut cichorei, saponariae, saepius taraxaci, trifolii fibrini, centaurei minoris, cardui benedicti, quasiasae et aliorum: si autem et sensibilitas horum organorum nimia simul conpescenda foret, supra dictis, pro vario sen-

sibilitatis gradu stimulantia volatilia mitiora, ut flores chamomillae vulgaris, herbam menthae crispae, melissae, folia aurantiorum, vel harum aquas destillatas, aut tincturas subiungimus. Doses et combinationes horum remedium in omni casu individuali, debent, gradui durationique morbi, viribus ac sensibilitati organorum digestionis, exacte respondere. *Externe* commendatur lotio abdominis cum spirituosis, aromaticis, inunctio cum unguentis stimulantibus: ut unguento volatili, linimento saponato camphorato et similibus.

Ubi simul *lentor circuli* in systemate venae portarum, obstructions, imo indurationes hepatis, lienis, pancreatis, glandularum mesaraicarum, perversa bilis secretionem, ictero aliisque phaenomenis morbos manifestandi adsunt, interne solventia tam vegetabilia, quam mineralia exhiberi debent: ut decoctum graminis, taraxaci, fumariae, cum terra foliata tartari, salibusque supra recensitis. Conducit in simili casu praecipue verno tempore et incipiente aestate, succus herbarum recentium expressus; efficacissima sunt praeparata antimonii et murias hydrargyri mitis, quae cum extracto taraxaci, fumariae, chelidonii maioris, cicutae, belladonnae, pulvere foliorum digitalis purpureae etc. exhibita haud raro salutes praestitere effectus; quae remedia, si post longiorem eorum usum signa debilitatis ventriculi comparerent, cum amaris, si vero hypercinesia simul organorum abdominalium componenda foret, cum antispasmodicis mitissimis ut floribus chamomillae vulgaris, herba melissae, menthae crispae, imo cum asa foetida coniungi debent. Stimulantia fortiora his sub rerum adiunctis semper noxia sunt, nec narcotia imprimis opium bene feruntur; exceptionem tamen facere videtur aqua laurocerasi, quae in statu organorum abdominalium nimis irritato, cum infarctibus et obstructionibus vasorum, et organorum abdominalium coniuncto magno cum effectu est a THULENIO adhibita. Non minus salutes praestant hoc in casu effectus aquae soteriae, ut acidulae alcalinae: ita in Hungaria Furedienses, Szalatnyenses, Ránkenses, in Germania Bilinenses, Marienbadenses, Egeranae multum celebrantur; maiorem hoc respectu laudem sibi promeruerunt thermae sulphureae calidae, e quibus principem tenent locum thermae Carlsbadenses in Bohemia; nos loco thermarum carolinarum adhibemus thermas sulphureas caesarcas Budenses, quarum aquam tepidam solam, vel cum sale mirabili glauberi, aegri optimo cum effectu hauriunt; ita et Magnovaradinenses, Mehadienses non inferiorum thermis budensibus exserunt efficaciam. Sed et usus harum aquarum externus forma balnei, ut et frictiones, inunctiones cum unguento cicutae, hydrargyri cinereo, cum linimento volatili, in regionem hepatis, lienis factae, emplastrum porro cicutae, hydrargyri, de gummi ammoniaco, nec non

clysmata Kämpfiana cum sufficienti cautela adhibita eximie prosunt. — Ubi remotis causis excitantibus, aut iis non amplius praesentibus, ut hoc in hypochondriasi sic dicta sine materia obtinet, hypercinesia hypochondriaca ultro quoque persistit.

Indicationem curae secundam desumimus a *characterem morbi dynamico*, proinde si character dynamicus, quod interdum, et si rarius, observatur, sit energicus, in plethora universalis aut topica radicans, methodus antiphlogistica iam mitior, iam strictior est indicata. Si vero morbus sit characteris adynamici, in debilitate, cum excessu sensibilitatis et irritabilitatis fundatus, talia indicantur pharmaca, quae in specie praesentem irritabilitatem et sensibilitatem morbosam systematis nervosi sufferendo, totius compagis organicae energiam restituant. Praestabunt hoc iam interna quam externa remedia. Interne indicantur leniter stimulantia, spirituosa, aetherea, tandem roborantia tonica; ita saepe multum praestat vinum generosum dosi moderata sumtum, infusa aromatica: ut florum chamomillae, herbae melissae, menthae crispae, piperitae, radicis angelicae, valerianae silvestris, corticis aurantium, cinnamoni, horumque aquae destillatae, tincturae, cum extractis amaris: centaurii minoris, cardui benedicti, millefolii; liquores item aetherei, olea aetherea, praecipue oleum cajeput <sup>21)</sup> oleum animale foetidum, liquor cornucervi succinatus, anisatus, lavandulatus, nec non camphora, castoreum, moschus: quae omnia diverso sensibilitatis gradui adaequari debent. Saepe prosunt gummiferae, imprimis gummi ammoniacum, galbanum, asa foetida, praecipue ubi spasmodicae adfectiones sopiendae sunt: in maiori tubi alimentaris et systematis gangliosi torpore, stimulantia magis permanentia principio acri praedita oportet adhibere, ut piper, capsicum annuum, zingiber, ipecacuanham dosi refracta, flores arnicae, nucem moschatam, resinam jalappae, scammonium, colocynthidem, tartroem lixivae stibiatum et vinum antimoniale ea dosi, ut neusea imo vomituritiones provocentur. Ubi dyspepsiae simul phaenomena vitiae digestionis, praeter debilitatem cum hypercinesia coniunctam, deprehenduntur, cum remediis stimulantibus supra laudatis et tonicis simul porrigimus amara fortiora, ut extractum aut infusum radicis gentianae, acori, herbae absinthii, elixiria et tincturas amaras: ita cel. Tunc maxime commendat *quassiam*, cuius extracti drachmam unam, aquae menthae crispae nucis sex solutam praescribit, ut omni triborio uno cochleari cibario sumatur. Ubi robore organorum digestionis, usu remediorum laudatorum magna parte restituto, turbisque systematis sensitivi compositis, debilitas et laxitas organismi remanet, ad ro-

21) Richter 1. c. p. 314

borantia fortiora transeundum est, qualia sunt cortex peruvianus, praeparata ferri mitiora, praepremis alcoholico aetherea, nec non aquae soteriae martiales, inter quas excellunt in Germania: Pyrmontanae et Driburgenses apud nos Bartfenses, Lublovienses, Vichnyenses et Suligulien- ses; quorum remediorum in curanda hypochondriasi saepe praestantissimorum tam forma quam dosis semper secundum statum individualement decerni debet. Interim tamen monendum est remedia stimulantia fortiora, acria, cinchonacea et martialia hypochondriacis in genere ob stimuli impatientiam minus convenire; reactionesque validas et tumultuarias provocando frequenter morbum, dum praepostere adhibentur exasperare.

Pharmacorum horum internorum efficaciam multum augent *externa*, quae etiam sola eximiam saepe praestant utilitatem: ita lotiones cum aqua frigida, balnea frigida, in fluvio vel lacu, contra sensibilitatem et debilitatem nervosam hypochondriasi adfectorum optima interdum constituunt remedia; sic et balneum maritimum, subinde balnea tepida roborantia, martialia naturalia, artificialia, lotiones spirituosae; saepe frictio abdominis sola manu suscepta, multum prodest, magis utilis est frictio cum setaceo molli, panno flanel fumo aromatico imbuto; ita inunctiones cum linimento volatili, saponato camphorato, cum tinctura cantharidum: in casibus rarioribus morbi gravioris vesicantia et sinapismi.

Tertia indicatio exigit, ut *cura* gravium nonnullorum *symptomatum* sub morbo hypochondriaco saepe obvenerint debita instituantur. — Ita frequenter adficiuntur hypochondriaci *spasmis* partium diversarum ut horripilationibus; in tali casu praeter calorem externum potus theae e herbis aromaticis cum vino aut arrak prosunt, uti et spiritus mindereri, liquor anodynus min. Hoffm. Liquor cornu cervi, tinctura valerianae, castorei, olea aetherea et pediluvia calida. Saepe corripiuntur *anxietate* magna, inquietudine, metu suffocationis, cordis palpitatione, dispnoea, lipothymia, Oesophagi, pharyngis contractione spasmodica, et convulsionibus: hic remotis suo modo momentis causalibus, ut acido primarum viarum, alvo obstipa, flatulentia, saburra, congestionibus partialibus fors praesentibus necessaria est quies corporis, calor externus, (inprimis extremitates, et abdomen panno calido obtegi debent); interne adhiberi debet infusum florum chamomillae, herbae menthae crispae, vel foliorum aurantiorum cum aliquot guttis liquoris anodyni min. Hoffm. vel spiritus cornu cervi succinati. Dum spasmi non remitterent, porrigimus dosi refracta ipecacuanham, et si pervigilium sine congestionibus sanguinis adesset aliquot guttas tincturae opii: turbis haud remittentibus sinapismos, vesicantia, aut etiam



clysmata ex infuso florum chamomillae cum asa foetida. — Contra vomituritiones atque vomitus prosunt carbonas magnesia, kali et natrum carbonicum, praecipue gas acidum carbonicum forma mixturae Riverianae vel Hulmianae; praeterea aquae aromaticae cum naphthis; externe fomenta aromatica, frictiones spirituosae et emplastra aromatica regioni ventriculi adplicari debent; Si vero saburra vel status ventriculi inflammatorius quoquo modo inductus vomituritiones ac emesim ipsam inducerent horum cura rationalis suscipienda est. — *Dolores colicos* infusa aromatica, liquor cornu cervi, tinctura opii; fomenta, clysmata e chamomilla, valeriana, adito castoreo aut opio optime leniunt. — Si *congestionibus humorum* ad partes superiores, cephalalgiam, vertiginem susurram aurium etc. inducerent, secundum adjuncta depletio sanguinis topica vel universalis indicatur praeterea clysmata emollientia, pediluvia calida; interne spiritus vitrioli, vel elixirium acidum Halleri pro potu porrigitur in vehiculo congruo. — *Acidum primarum viarum* et pyrosis absorbentibus, ut magnesia, lapidibus cancerorum, Kali et Soda carbonica, prout et amaris feliciter suffertur. Ita contra *ructus flatulentias* utilia sunt aromatica, aetherea, spirituosae tam externe quam interne exhibita; ut melissa, mentha, sem. foeniculi, anisi, carvi, cumini, flores chamomillae, aqua carminativa. — Frequentissimum symptoma hypochondriacis molestum *alvi* est *obstipatio*, quae non raro habitualis, saepe ingentes solet causare cruciatus; hinc ubi diuturna alvi obstipatio molestias aegri auget, comendamus aquam saccharatam frequenter hauriendam, ubi haec non sufficeret, magnesian puram cum saccharo porrigimus; multis optime arridet aqua Seidschützensis, Sedliczensis Pilnauensis jejuno stomacho hausta. Si alvi retentionem torpor canalibus intestinalibus sustinet efficaciora exhiberi debent purgantia, tuncque secundum statum individualem seligimus: vel cremorem tartari, vel salem seignetti, salem mirabilem Glauberi, vel tartarum vitriolatum, rheum, sennam vel aloë, aut alia similia, prosunt hic clysmata cum sale communi, sapone, aut ex infuso foliorum sennae parata. — Contra *retentionem urinae* spasticam, quae nonnunquam etiam grave constituit morbi symptoma, indicantur camphora, parvae doses ipecacuanhae, pulvis Doweri, spiritus nitri dulcis, castoreum et asa foetida! externe fomenta, cataplasmata emollienti-narcotica, lotiones, frictiones, clysmata item antispastica; in rarissimis vero casibus catheter pro ratione circumstantiarum applicari debet.

His rite observatis, felicem curae eventum poterit sperare medens, et si malum radicitus tollere non valuerit, in summum tamen aegrorum levamen operabitur.

## LITERATURA HYPOCHONDRIASIS.

- Geiger* (Malach) *Microcosmus hypochondriacus, sive de melancholia hypochondriaca.* Monachii 1651. 4.
- Wedel* (Georg Wolfg.) *Dissertatio de morbo hypochondriaco.* Jenae 1676. 4.
- Hoffmann* (Fridericus), *Dissertatio de praecipuo studiosorum morbo, eiusque genuinis causis.* Halae 1699. 4.
- Stahl* (Georg Ernest). *Dissertatio de malo hypochondriaco* Halae 1703. 4.
- 5) *Haller* (Albertus) *Dissertatio de malo hypochondriaco.* Göttingae. 1751. 4.
- T. Hill's*, pract. *Abhandlung üb. d. Natur und Cur d. Milzkrankh. od. der Hypochondrie.* A. d. Engl. Bremen 1767.
- T. Kuempf*, über die Krankheiten d. Unterleibs. Leipzig 1786.
- T. E. Dufour's*, Vers. üb. die Verricht. und Krankh. d. menschl. Verstand. A. d. Franz., mit ein. Betracht. üb. d. Hypochondrie v. Ernst Platner. Leipzig. 1786.
- G. B. Zeviani*, über die Hypochondrie, Windsucht, und Blähungs beschwerden. A. d. Ital. v. I. L. Kreysig. Leipz. 1794.
- L. Storr's* Unters. üb. d. Begriff. d. Natur und d. Heilung der Hypochondrie. Stuttgart. 1805.
- R. T. Zimmermann's*, Versuch über die Hypochondrie u, Hysterie. Bamberg 1816.
- Louyer-Villermay* *Traité sur les maladies nerveuses, et particulièrement sur l' hysterie* Paris 1816. 8.
- W. A. Haase*, über die Erkentn. u. Cur d. chronisch. Krankheiten. B. II. Leipzig. 1817.
- Jos. Frank.* *Praxeos medicae universae praecepta.* Lipsiae. 1818. partis II-ae vol. I. sect. I.
- I. N. Reimann* *Handbuch der speciellen medicinischen Pathologie und Therapie.* Zweyte vermehrte und verbesserte Auflage. Wien 1823. 8.
- Aug. Gott. Richter* *Specielle Therapie, nach den hinterlassenen Papieren des Verfassers herausgegeben von Dr. Georg A. Richter.* Wien 1830. Bd. 7.
-

## T H E S E S.

- 1) Biognosia specialis magis necessaria medico practico, quam universalis.
  - 2) Numerus vasorum increscente aetate decrescit.
  - 3) Vis plantarum venenata nec a solo, nec a climate dependet.
  - 4) Debilitas partialis esse potest.
  - 5) Hydropes laborantibus potus aquae copiosus magis prodesse, quam nocere potest.
  - 6) Infarctus abdominales morborum causa frequentissima.
  - 7) Medicamentum universale rationi et empiriae repugnat.
  - 8) Causa morborum psychicorum partim somatica, partim dynamica.
  - 9) Sangvinis depletio in ophthalmiis, per arteriae temporalis sectionem suscipienda, merito negligitur.
  - 10) Contra cancrum uteri perfecte evolutum remedium non datur.
  - 11) Hypochondriasis est morbus a hysteriasi omni jure alius.
  - 12) Frequentia hypochondriaseos est cum cultura humana in ratione directa.
  - 13) Vitam anorganicorum chemia luculentissime demonstrat.
-